e-codices

iemineus legitur. Pro chusi quoque Saul intellegitur qui erat de stirpe beniamin et erat ethiops id est niger peccatis.
Nam sicut ethiops numquam mutat pellem, ita nec Saul malam erga sanctum david deposuit uoluntatem. Quod autem chusi
ethiops interpretatur, trahit ethimologiam a chus filio cham a quo omnis affrica possessa est. ex cuius genere ethio
pes originem ducunt. Pro uerbis inquit filii iemini id est pro minis quibus minabatur interficere david dicens se etiam
in praeruptis silicibus quae solis [illegible] ibicibus peruiae sunt eum persecuturum. Iam ergo apparet tunc potius david hunc psalmum
cantasse quando a saule persequebatur quam quando a facie absalon fugiebat. Saul enim interpretatur petitio uel petitus,
qui petitus est cum populis ut rex ei daretur. Potest etiam hic psalmus ad christum ex parte referri. cantat quodam modo ab eo pro
uerbis chusi id est iudae uel diaboli qui niger sunt peccatis et iemini id est filii dexterae. Nam iudas filius iemini fuit
dum in consortio apostolorum [illegible] permansit et quousque se a dextera in leuam deflexit. Sed diabolum qui modo filium dexterae appel
labimus ac sciendum quia natura et potestate bonus est, uoluntate autem malus. Natura bonus quia a bono deo conditus
est. Potestate uero quia quod potest deo permittente potest. Voluntate autem malus quia semper male operatur. semper que mala
suadet agere hominibus. DOMINE DEUS MEUS IN TE SPERAVI. Vox prophetae timentis minas saul. In te inquit
speraui id est spem meam in te collocaui. non in equis et in curribus non in armatura uel diuitiis aliquibus auri et argenti et quia
spem meam in te posui dignum est ut me saluum facias. Saluum me fac ex omnibus persequentibus me. Solus quidem saul perseque
batur david. sed quia rex erat et multos complices suae nequitiae habebat ideo que pluraliter dicit ab omnibus persequentibus me. Et li
bera me. subaudis peccatis propter quae haec patior. Nequando rapiat ut leo animam meam. Leoni comparat saulem ob
uoracitatem quia feraliter et crudeliter eum deuorare nitebatur. Leo in sancta scriptura multa significat. Comparatur enim christo
iuxta quod dicitur uicit leo de tribu iuda. Et propheta iacob ad praedam fili mi ascendisti requiescens accubuisti ut leo et quasi leena.
Significat etiam diabolum ob uoracitatem sicut hic et alibi insidiatur ut leo in spelunca sua. Si inquit tu me dimiseris
et non subueneris deuorabit me. Potest et uox christi esse orantis ad dominum patrem in passione ut eum de iudeis persequentibus se
liberaret. Domine deus meus si feci istud. Quid sit istud ipse ostendit cum subiungit. si est et est per lempsis id est praeoccupatio.
Iniquitas in manibus meis. Et si reddidi retribuentibus mihi mala. Non autem hoc de omni iniquitate dicit cum frequenter pecca
uerit. sed ex ea pro qua a saule persequebatur. Si inquit sauli et ceteris me persequentibus malum feci pro quo me persequuntur
tunc iuste ab eis decidam et interficiar. Retribuere autem cuilibet dicitur quando ipse primum suis beneficiis exigit ut id ei
iuste debeatur. Si inquit reddidi retribuentibus mihi mala ac si diceret. Ego quidem eis bona praestiti propter quae nunc mala
retribuunt. Potest et hoc de christo accipi quasi diceret ad iudeos. Si inquit malum feci iudeis me persequentibus tunc iuste
decidam manus eorum gloriosus. Retribuere autem quattuor modis dicitur quando ut mala pro bonis reddiderunt iudei christo quod est pessi
mum. Bona pro malis reddidit eis christus quod est optimum. Malum pro malis reddimus quod est peccatum. Bona pro bonis quod est iustum.
Persequatur inimicus animam meam. ut saul david. ut iudas et diabolus [illegible] christum. Merito decidam subaudis si hoc feci
uel operatus sum. Et comprehendat et conculcet in terra uitam meam. Vita non potest conculcari sed uita pro anima posuit. Conculcet
inquit in terra [illegible] uitam meam id est uitii peccatores et terrenis desideriis inhaerentes me deprimant. si haec subaudis quae superius
dicta sunt egi. Et gloriam meam in puluerem deducat. Gloriam meam inquit quia me iustum esse gloriorum et immunem ab his pecca
tis. Deducat in puluerem id est rebus quae pulueri comparantur similem esse ostendat non electis qui ligno uitae comparantur. Ex
urge domine in ira tua. Vox prophetae ad christum ut exurgat. Dormienti enim dicitur exurge. quia nouerat eum de suo semine secundum
carnem nasciturum quem per diuinitatem dominum adorabat et deum. Eandem que carnem pro salute humani generis depositurum
et in sepulchro collaturum dicit. Domine ihesu christe exurge in ira tua id est ut te uindices inimicis tuis iudeis. Exaltare in
finibus inimicorum tuorum. Prospera eis optat. Sub de inquit te iudeos et fac ad fidem tuam conuerti quatinus ita exalteris super eos
dum in te crediderint et te ut dominum crediderint qui nunc inimici sunt. Fines inimicorum sunt ipsi homines idem scilicet inimici
qui et fines dicti. Exurge domine in praecepto quod mandasti. Mandasti dicit pro eo quod est mandabis. Sancta enim scriptura quia tempore
caret. est futuro tempus pro praeterito ponit. hoc autem praeceptum ex eo est quod ipse apostolis dixit inquiens. Post quam resurrexero praecedam
uos in galileam. Et postea uero nuntiis mulieribus ipsis apostolis mandans ait. Ite dicite fratribus meis ut eant in galileam ibi
me uidebunt. Exurge inquit domine ut appareas discipulis tuis et laetentur de resurrectione tua. Et synagoga populorum
circumdabit te. Tu inquit pro salute iudeorum carnem assumes. sed ipsi te circumdabunt insidias tibi praeparantes ut te de

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 12 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/12)